

opus est verbis ?mibi procul dubio videtur vir ille , quo tempore libellum illum scripsit , apud se non fuisse . Mox aliis ad Antonium eumdem literis eadem prope repetit , adjiciens , corruptum pecunia Sabellicum , multa ibi effutivisse . Quod autem scribis , ideo in opusculo tuo veritatem gestorum Forojuliensium penes Marcum-Antonium esse : quia neminem eorum , qui Forojuliensium gesta monumentis mandaverunt , doctiorem repereris : fateor quidem illum eruditum virum esse , sed PECVNIAE STVDIO in libello illo delirasse . Quare nomen ejus eleganti ex codice tuo dele , tum etiam ne cum mendacio veritatem miscendo commacules . An Purliliani consilio paruerit Antonius , incompertum mihi est : certe animadverti , Sabellici nomen nusquam legi in octo Commentariorum Aquilejensium libris , quos Joannes Candidus , Utinensis Jurisconsultus , Venetii edidit apud Alexandrum de Bindonis , anno M. D. XXI. in fol . qui Candidus forte hac in re Purliliani consilium est complexus , a quo liber suus valde probatur ea ad Conterraneos epistola , quae sub Commentariorum finem perlegitur . Per id tempus Nicolaus Canussius , a Candido citatus , librum , qui numquam tamen evulgatus est , de restitutione Patriae , adversus Sabellicum conscripsit . Praeter haec animadverti , saepius a Candido Sabellicum improbari & refutari , nulla de ipso mentione facta . Secus vero Palladius , & ipse Utinensis historicus , multis in locis testimonio Sabellici utitur , ipsum plurimi a se fieri significans .

Sub haec tempora (si tamen Jovio (a) habenda est fides) Vicetiam civitatem eloquentiae doctrinaeque illius rumor adduxit , ut ipsum Utino ad se duplicitate stipendio invitaret . At vereor ne hic fallatur Jovius , nisi forte , quod minus credo , voluit nos fallere , nostroque historico avaritiae & levitatis notam inurere . Nusquam profecto , neque apud alios ejus aevi autores , neque apud Sabellicum ipsum reperio , professum eum esse Vicetiae . Immo ipsem testatur , se ex Utino ad Venetum gymnasium traductum esse , epistola ea , qua libellum de officio Praetoris ad Antonium Cornelium misit . Septimo ab hinc anno EX veteri CARNORVM ORA VENETIAS APPVLSVS , &c . Praeterea idem narrat septimo Exemplorum libro pag . LXXXIX . 2. primae editionis (b) se ignotum adhuc , atque illac transleuntem , Vicetiae habuisse panegyricam orationem in festum diem Vincentii martyris , quae ibi excepta celebri conventu magistratum & universae civitatis , postea cum orationibus aliis emissa in lucem undecimum locum tenet . Audivit Vicetina civitas ex rhetoribus nostrae aetatis Sabellicum obscuri adhuc nominis PEREGRE TRANSEUNTEM , &c . Quo autem tempore Vicetiam se contulerit Sabellicus , eamque ibi orationem recitaverit , haud licuit mihi nosse : nisi forte id tum evenit , quando , ut infra narrabitur , Veronam se contulit , aut Venetas inde remeavit . Caeterum (pergit ipse narrare quam magnifice ab ea civitate habitus sit) dicendi facultatem in eo (Sabellico videlicet) admirata , ARGENTEA PATERA magni ponderis , & quod plus fuit , CIVITATE DONAVIT . Quod praebuit pulcherrimo carmini argumentum ; quod carmen jam saepius editum , Vicetinus crater , inscripsit , ortum , situm , aliasque urbis ejus res insignes pereleganter in illo describens .

Addit Jovius , audacter ex more veris falsa permiscens , Vicetia vocatum a Senatu ea conditione Sabellicum , ut civitatis res gestas a fine (Bernardi) Justiniani conscriberet , & trecentis aureis in gymnasio profiteretur . Quod ad

(a) In Elo-
gio .

(b) Cap. de
bonore stu-
diis litera-
rum exhibi-
bito .